

passione: ergo sicut misericordia formaliter est in Deo, licet non sit tristitia, et compassio, ita et ira sine dolore.

XV. Nihilominus alii ex antiquis præter Lactantium existimarunt itam includere necessario tristitiam et dolorem tamquam motivum formale et proprium. Nam Aristoteles I de anima, textu XVI, iram docet esse: « Appetitum doloris vicissim alteri inferendi, » iratus enim videtur hoc intendere, ut dolorem, quem sentit, in alterum effundat, et sic allevietur a dolore quem sentit. Unde Damascenus lib. II, cap. XVI, et Nyssenus, lib. V, cap. XIV, dicunt quod: « Ita componitur ex tristitia et desiderio, » quod exposuit D. Thomas I-2, q. XLVI, art. III ad III, quod: « Componitur ex illis, non quasi ex partibus, sed quasi ex causis. » Favet Scriptura I. Macchab. II, describens iram per dolorem, tamquam per causam aut motivum: *Et vidit, inquit, Matthathias, et doluit, et contremuerunt renes ejus, et accensus est furor ejus secundum judicium legis, etc.* Unde quoties Scriptura Deo attribuit iram (attribuit autem passim, ut notum est omnibus) debet semper intelligi eo modo attribui, quo attribuitur ei dolor, et justitia seu pœnitentia, sicut cum dicitur Genes. VI: *Pœnituit eum quod fecisset hominem in terra, et tactus dolore cordis intrinsecus, etc.* Certe D. Thomas perpetuo sensit iram supponere dolorem seu tristitiam, non solum loquendo de ira, quæ est passio, sed de illa, quæ invenitur in actu voluntatis: excludens enim a Deo illos effectus qui dicunt imperfectionem ex parte sui formalis, in hac quæstione XX, art. I ad II, dicit excludi iram, quia tristitiam supponit. Et in I-2, quæstione XLVI, citato articulo III ad III, dicit quod: « Ira componitur ex tristitia, et desiderio non sicut ex partibus, sed si-

cut ex causis. » Et q. XLVII, art. III, loquens de causa iræ ex parte dispositionis, quæ relinquitur ex motivo iræ: « Manifestum, inquit, est quod nihil movet ad iram, nisi nocumentum quod contristat. » Et infra: « Ista est causa quare homines, qui sunt infirmi, vel in aliis defectibus, facilius irascuntur, quia facilius contristantur. » Itaque apud D. Thomam stimulus iræ est dolor, seu tristitia ex aliquo nocumento concepta, ita quod subjectum doloris et tristitiæ incapax, est incapax, iræ. Et si facit effectus iræ, id erit ex alio motivo, v. g. ex justitia, et æquitate, aut ex simili effectu, et hoc vocare iram, magna abusio est. Sed tunc erit quæstio de nomine. De ipsa autem re, si ex his quæ in nobis videmus philosophandum est, ita ad hoc datur, ut repellat nocumentum sibi illatum, et dolorem seu tristitiam illatam alterius vindicatione compenset: quia enim intra se dolorem et stimulum sentit, irascitur. Pro aliis autem vindicandis sufficit motus seu affectus justitiæ: vacat ergo ira, ubi non est capacitas tristitiæ. Secus est de misericordia: nam licet hæc habeat in nobis compassionem adjunctam, non tamen compassio est motivum miserendi, sed affectus in nobis consurgens ex eo, quod tangimur aliena miseria. Unde non movemur ad sublevandam illam ex compassione nostra, seu ad hoc ut mitigemus compassionem quam sentimus, sed ut proximum consolemur, et sublevemus, ira autem directe est ad mitigandum et compensandum dolorem, quem in nobis facit nocumentum illatum; quod si non datur mitigatio doloris, sed solum compositio mali et nocimenti facti, non requiritur ira, sed sufficit justitia vindicativa.

Unde patet solutio ad motiva Suarez. Et D. Thomas in illo loco negat esse in Deo iram ut passio, et affir-

mat esse secundum judicium justitiæ, non tamen affirmat esse secundum formale quod est mitigativum doloris.

XVI. De spe, timore, desperatione, audacia, et similibus affectibus qui vel includunt, vel sapiunt naturam spei, et fiduciæ, omnes excluduntur a Deo, quia isti affectus respiciunt vel aliquod malum non facile repellendum, sed contra voluntatem eventurum, quem timor formidat, et contra quod audacia movet et acuit; Deo autem nihil est mali, quod contra ejus voluntatem possit accidere, aut non de facili repelli. Vel est aliquod bonum non habitum, nec facile habendum, sed cum arduitate et contingentia, sive quia habendum est per alterius virtutem, sive quia in se excedit propriam potestatem, et sic est spes, quæ est de re non habita, sed futura, et ardua: *Quod enim videt quis, quid sperat*, ut inquit Paulus. Nulum autem bonum est Deo arduum aut contingens, aut ab alterius voluntate habendum, quia omnia in ejus manu sunt, et ab eo prove-niunt; ergo est incapax spei, et a fortiori desperationis.

ARTICULUS III.

Utrum in Deo sit justitia commutativa formaliter?

Tota difficultas in attribuenda, vel removenda a Deo aliqua virtute, quæ in nobis reperitur in eo consistit, an in ratione formali talis virtutis, aut in aliqua conditione essentialiter requisita inveniatur aliqua imperfectio, vel possit ab omni imperfectio purificari, et ita formalis et essentialis illa ratio in Deum transferri.

I. Dari igitur in Deo justitiam abstrahendo nunc a specie commuta-

tivæ, vel distributivæ, indubitatum est; de ratione etiam justitiæ secundum se solum est voluntas unicuique tribuendi quod suum est, quæ nihil aliud est quam voluntas ordinate et debite disponendi ea quæ extra sunt, et circa quæ operamur, Deus autem est principium ordinandi omnia, et debite constituendi cum sit summa lex omnium, et regula totius bonitatis, et ordinationis debitæ. Voluntas ergo sic ordinate et debite disponendi de omnibus non potest in Deo dari, quod et frequentissime Scriptura docet, nec est necesse loca multiplicare.

Sed quia est duplex species justitiæ, ut docet S. Thomas in hac quæstione XXI, art. I, et 2-2, q. LXI, art. I, altera quæ vocatur commutativa, altera distributiva, specialis difficultas est, an utraque possit Deo attribui, an aliqua dicat imperfectionem illi repugnantem. Nec proponimus difficultatem de aliis partibus justitiæ, quæ potentiales dicuntur, quia imitantur quidem et æmulantur rationem justitiæ, vel in reddendo debito vel in ratione æqualitatis, sed ab ea deficiunt, quia non servant rigorem debiti, vel æqualitatis: justitia enim proprie respicit debitum compensandum ad æqualitatem. Unde propria et rigorosa justitia est, quæ debitum rigorosum et proprium respicit, et æqualitatem facit, quod debitum rigorosum vocari etiam solet debitum legale, quia est illud quod lege, vel adæquatione ipsa rei statutum, et debitum est. Illæ vero virtutes quæ versantur erga alterum, et deficiunt, vel a ratione debiti, vel a ratione reddendi æquale, dicuntur partes potentiales justitiæ, ut docet S. Thomas, 2-2, q. LXXX, articulo unico. Sunt enim aliquæ virtutes, quæ debitum quidem habent ad alterum, sed æquale reddere non possunt, sicut Deo, et superioribus, et parentibus debitum

habemus, sed ad æqualitatem solve-
re illud non possumus; et sic Deo
religio defert cultum debitum; su-
perioribus obedientia constitutis in
dignitate dulia, parentibus pietas,
aliæ virtutes possunt quidem red-
dere æquale, sed non habent rigoro-
sum debitum, et legale, sed mora-
le, quod attenditur secundum hones-
tatem virtutis aut decentiam, non
secundum legis obligationem; sicut
veracitas, quæ veritatem implet in
promissis, in verbis et factis; sicut
gratitudo quæ reddit vicem pro be-
neficiis, vindicatio pro malefactis,
sicut liberalitas, quæ dat et commu-
nicat aliis secundum decentiam
convictus humani; sicut amicitia
seu affabilitas, quæ se exhibet aliis
gratosum et tractabilem et alia si-
milia, quæ ibi enumerat, et postea
explicat D. Thomas a quæstione viii,
usque ad cxx in 2-2. Istæ ergo virtu-
tes dicuntur partes potentiales jus-
titia, quia vel rigorosum et legale
debitum non observant, vel ad æqua-
litatem non possunt rependere. Sed
de his non agimus in præsentia,
quia aliquæ manifeste repugnant
Deo, scilicet illæ quæ respiciunt su-
perio-rem, ad quem habent debitum
rigorosum, sed non possunt reddere
ad æqualitatem: Deus enim superio-
rem non respicit, nec impotens est
reddere ad æqualitatem. Quæ autem
ad æqualitatem reddere possunt, sed
debitum legale non habent, sed mo-
rale, Deo non repugnant, dummodo
non supponant aliquam inferiorita-
tem in illa ratione debiti, et aliquam
imperfectionem, sicut est in Deo li-
beralitas, affabilitas seu amicitia, ve-
racitas, etc.

II. Quare in præsentia solum agi-
mus de illis duabus speciebus jus-
titia propria, et rigorosæ, quæ sunt
justitia commutativa, et distributi-
va. Est quidem præter istas alia jus-
titia, quæ dicitur legalis, de qua
agit S. Thomas 2-2, q. lviij, art. vi,

quæ respicit bonum commune, cui
etiam reddi debet quod suum est, et
ideo maxime debemus curare ea,
quæ sunt boni communis. Princeps
quidem dirigendo et ordinando il-
lud, subditus autem obediendo, et
regulando se per legem. Et quia lex
est quæ regulat bonum commune,
dicitur hæc justitia legalis, quia bo-
num legis seu bonum commune ser-
vare studet, juxta id quod ei debe-
tur. Unde dicit D. Thomas quod talis
justitia est in principe architec-
tonice, quasi in imperante, et diri-
gente, in subditis autem secundarie
et administrative tamquam in sub-
jectis et obedientibus ipsi legi. In
Deo autem justitia ista est summa
illa voluntas ordinandi omnia per
legem æternam, a qua omnis alia
lex derivatur, ut docet S. Thomas
1-2, q. xciii, art. iii, et ita est in Deo
justitia legalis superiori modo quam
in omni principe, cum sit Rex regum
et Dominus dominantium et respiciat
bonum commune, reddens ei quid-
quid sibi debetur tamquam habens
curam de omnibus. Cæterum hæc
justitia licet sit species quædam sub
genere justitiæ, quæ est specialis
virtus inter alias morales, dicitur
tamen generalis et communis, non
quia prædicetur de omnibus virtu-
tibus, ut citato loco dicit S. Thomas;
sed quia movet et dirigit, dum or-
dinat hominem ad bonum commu-
ne, ad quod ordinantur omnes vir-
tutes. At vero commutativa, et dis-
tributiva justitia sunt etiam species
justitiæ, ut est particularis virtus
condivisa contra alias virtutes mo-
rales, non quidem dirigens, et ordi-
nans sicut justitia legalis ad bonum
commune, sed respiciens bonum
particulare personarum, sicut justitia
commutativa respicit bonum
particulare secundum debitum quod
est inter personam et personam;
distributiva autem respicit bonum
particulare subditorum, ut a supe-

riori distribuendum ordinate. Et sic
fit divisio justitiæ, quæ est virtus
specialis, juxta diversum modum
respiciendi alterum. Nam debitum,
et obligatio aut est a superiori ad
subditos, aut a subditis ad superio-
rem, aut inter ipsas personas inter
se prout sunt partes alicujus com-
munitatis. Et primo modo est justitia
distributiva, a qua descenditur a
toto ad partes, a superiori ad infe-
riores. Secundo modo est justitia
legalis, qua partes respiciunt totum
et privati bonum commune, aut
etiam princeps bonum commune.
Tertio modo est justitia commutati-
va inter ipsas partes.

III. Hoc supposito inquirimus in
hoc articulo an justitia commutativa
in sua formali ratione, et conceptu
includat aliquam imperfectionem,
ratione cujus non possit secundum
suum formalem conceptum Deo
attribui. In qua re acriter inter se
et certarunt et desudarunt p. Suarez
et Vasquez. Nam primus per unum
extremum affirmat dari in Deo jus-
titiam, non solum distributivam, sed
etiam commutativam, segregatis
omnibus imperfectionibus, a quibus
purificari potest, salva sua ratione
formali, et essentiali: ad quam ta-
men justitiam stricte dictam, taliter
quod inducat jus in alio, præsuppo-
ni docet promissionem, et pactum
Dei, quod si non præcedit, nullum
jus nascitur in homine erga Deum:
sine jure autem non exercetur jus-
titia. Posito autem pacto et promis-
sione, vera et propria justitia inter-
cedit inter Deum et nos, ita quod
si Deus non redderet quod ex pacto
convenit, violator esset specialis et
proprie dictæ justitiæ. Ita docet in
opusculis disputatione de justitia
Dei, et relectione de libertate divi-
na, disp. ii, sect. ii, num. xxxvii, et ante
docuerat, i tomo part. iii, dip. iv, sect.
v et vi, et tandem tomo iii de gratia,
lib. xii, cap. xxx, et aliis locis; in

hoc tamen ultimo loco numero
xxxiv fatetur Suarez jus hominis
erga Deum deficere a rigore justitiæ
commutativæ, quæ inter homines
intervenit: simpliciter tamen sub-
stantialem justitiam commutativam
inveniri in Deo dicit numero xxxii.
Vasquez vero per aliud extremum
docuit in Deo non dari veram et
strictam justitiam, neque commuta-
tivam, neque distributivam, sive
ante promissionem et pactum, sive
post, ita quod inducat debitum quod
sit jus strictum in creatura respec-
tu Dei, sed solum esse debitum quod-
dam morale, ex honestate virtutis,
et non debitum regale, illudque
reddi a Deo ex fidelitate
vel gratitudine, aut alia virtute si-
mili, quæ sit pars potestativa jus-
titia, non species ejus. Unusquisque
horum auctorum suos habet secta-
tores. Vasquez sequuntur Arrubal,
Lessius, Thomas Sanchez, Lorca,
Turranius, Ægidius et alii, quos ci-
tat et sequitur Alarcon tract. iii de
voluntate Dei, disp. viii, cap. v,
num. iii. Suarez sequuntur Granados,
Tannerus, Ragusa, Rebellus et alii,
quos idem auctor ibi citato numero
quinto. Inter hos auctores arbiter vo-
luit esse Ruiz, de voluntate Dei, disp.
lvii, sect. i et sequentibus, qui vult
pro Suarez in Deo posita permissio-
ne et pacto esse justitiam stricte
dictam tam commutativam, quam
distributivam, licet eminentiorem
quam in nobis. Pro parte autem
Vasquez voluit jus creaturarum non
inducere in Deum obligationem
personalem, sed solum realem, ita
quod ipsa persona non sit obnoxia
debito, sed res ipsæ, ad eum modum
quo res testamento legata debentur
hæredibus debito justitiæ per obli-
gationem realem, qua res ipsæ ma-
nent effectæ, non per personalem,
quia testator defunctus est.

IV. Communior tamen sententia,
præsertim inter Thomistas, tenet,

in Deo non dari justitiam commutativam, bene tamen distributivam. Ita docuit S. Thomas in hac quæstione XXI, art. I, et ibi ejus expositores communiter, Cajetanus, Bagnez, Zumel, Gonzalez disp. LXIII, Ferrariensis I contra gentil. cap. xciii; Soto lib. III de justitia, quæst. V, articulo ultimo ad I, et libro de natura et gratia, cap. VII; Capreolus in I, dist. XLV, q. I, art. I, concl. IV et art. III, ad argumentum contra eandem conclusionem. Ex antiquis citat Vasquez pro se Scotum in I, dist. XLVI, q. I, in solutione argumentorum, et Durandum ibidem quæstione prima, quod negaverint Deo justitiam commutativam. Sed nihil minus de hoc ibi tractant Scotus et Durandum, nec verbum. Fortasse fuit lapsus ex scribentis citare Scotum, et Durandum in primo cum debuissent citare in quarto sententiarum, dist. XLVI, sed ibi Durandum plane sentit cum D. Thoma et Thomistis, scilicet in Deo non esse justitiam commutativam, bene tamen distributivam. Scotus idem affirmat ibi quæstione prima, ubi cum distinxisset utramque justitiam commutativam, et distributivam dicit: « Prima illarum non potest esse simpliciter in Deo respectu creaturæ, quia non potest esse simpliciter æqualitas, etc. secunda justitia potest hic esse simpliciter, quia simpliciter potest dare naturis perfectiones debitas, vel convenientes. » Postea in §. Non probando, etc. dicit quod: « Non improbando distinctiones, affirmat tamen in Deo non esse nisi unicam justitiam, quæ determinate non inclinatur ad aliud extra se: ad nullum enim objectum ad extra Deus determinate inclinatur, sed solum ad suam bonitatem, ad reliqua vero contingenter; et ideo dicit non habere justitiam simpliciter ad alterum extra se; licet in creaturis inveniatur justum secundum correspondentiam unius

ad aliud, sicut justum est ignem esse sursum, et terram deorsum, quia natura eorum id exigit. » Ubi Scotus non improbando primum dictum suum de justitia commutativa, et distributiva, voluit postea explicare quomodo ista justitia in Deo non detur per immediatum respectum ad creaturas, sed ad se. Quare antiqui potius stant pro sententia Thomistarum, nec multum de quæstione ista videntur disputasse, sicut modo.

MENS D. THOMÆ.

V. Expresse sentire D. Thomam quod in Deo non sit justitia commutativa bene tradidit Vasquez in hac prima parte, disp. LXXXV, cap. II, licet sequenti disputatione LXXXVI, capite etiam secundo, hæsitaverit circa ipsius mentem in attribuenda Deo justitia distributiva, putans retractasse s. doctorem in summa id quod de hac justitia dixerat in II, dist. XXVII, et I contra gentil. cap. xciii. Hoc sequenti articulo videndum est. Nunc quod affinet ad justitiam communicativam, eam Deo denegasse D. Thomam sine ulla controversia statui debet, ut patebit intuenti loca, ubi id ex professo tractat, tum in sententiariis, tum in libro contra gentiles, tum in summa theologica. Et in primis in II, dist. XXVII, quæst. I, art. III, distinguens justitiam commutativam et distributivam, dicit quod: « In redditione præmii ad merita magis attenditur forma distributionis, cum ipse unicuique reddat secundum opera sua, quam commutationis, cum Deus a nobis nihil accipiat. » Deinde in IV, dist. XLVI, q. I, a. I: « Justitia commutativa per quam æqualitas constituitur inter Deum dantem et creaturam recipientem Deo competere non potest secundum propriam acceptio-

nem. » Addit tamen modum quemdam justitiæ commutativæ inveniri in Deo respectu naturæ, sicut invenitur inter patrem et filium. Et in loco supra citato ex XXVII, distinct. II, ponit in Deo justitiam esse secundum modum distributionis, quia utrumque modum in Deo reperiri postea ostendemus. Item in I contra gentil. cap. xciii: « Justitia, inquit, quantum ad commutationis actum Deo competere non potest, cum ipse a nullo aliquid accipiat, unde Rom. XI dicitur: *Quis prior dedit illi et retribuetur ei*: et Job XLI: *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei*. Per similitudinem autem aliqua Deo dare dicimur, in quantum Deus nostra data acceptat: non igitur sibi competit commutativa justitia, sed solum distributiva. » Eodem modo et ob eandem rationem eam denegat Deo in hac quæstione XXI, art. I: « Justitia, inquit, communicativa vel directiva commutationum, sive communicationum non competit Deo, quia ut dicit Apostolus Rom. XI: *Quis prior dedit illi et retribuetur ei*: Rursus in 1-2, quæstione CXIV, art. I, negat justitiam simpliciter esse in Deo erga nos, quia non est æqualitas simpliciter, sed solum quidam modus justitiæ, sicut dicitur quoddam jus paternum sive dominativum, ut dicit philosophus in V ethic. Et ulterius eam negat in Deo, quia totum quod est in homine bonum, est a Deo, unde non potest hominis ad Deum esse justitia secundum absolutum æqualitatem, sed secundum proportionem quamdam, in quantum scilicet uterque operatur secundum modum suum. Denique 2-2, q. LXI, a. IV ad I, dicit D. Thomas quod: « Forma divini judicii attenditur secundum rationem commutativæ justitiæ prout scilicet recompensat præmia, meritis, et supplicia peccatis. » Quo loco ut observat Cajetanus solum

ponit Deum observare modum quemdam justitiæ communicativæ in recompensandis meritis, et suppliciis non ipsam justitiam communicativam proprie exercere. Quod postea melius ponderabimus, solvendo argumenta oppositæ sententiæ, quæ istum locum pro se adducit.

VI. Dices: D. Thomas in locis adductis, solum velle excludere a Deo justitiam commutativam juxta mensuram, et modum humanum circa actiones quas adæquat inter se, hoc enim facit cum aliquibus imperfectionibus, quas D. Thomas a divina justitia excludere vult, non ipsam justitiam purificatam his imperfectionibus.

Sed frivola est hæc objectio. Nam secundum illum modum imperfectum quo virtutes sunt in nobis, non solum justitia communicativa, sed nec distributiva, nec misericordia, nec liberalitas et magnificentia, nec sapientia, aut prudentia sunt in Deo, sed modo altiori, et divino. Ergo si solum intenderet D. Thomas negare Deo justitiam commutativam secundum eas imperfectiones, quibus affecta est in nobis, et non secundum se, etiam alias virtutes negare deberet Deo, quia non sunt in eo, illo modo, quo in nobis. Sed D. Thomas alias virtutes concedit Deo; et hanc commutativam excipit, ut patet in locis allegatis præsertim in I contra gentil. cap. xciii. Ergo loquitur de istis virtutibus secundum se, et secundum rationem suam formalem absolute, et non solum prout in nobis, et cum imperfectionibus, quas in nobis habent. Nec latuit hoc D. Thomas, sed id expressit citato loco contra gentiles. Postquam enim affirmavit non dari in Deo justitiam commutativam, bene tamen distributivam, et alias virtutes, ut prudentiam, liberalitatem, veracitatem, etc. subdit sic: « Virtutes prædictæ secundum suas ra-